

1541 nes, immissis in urbem militibus, Budam in suam potestatem redigit; cives armis exuit, iij. kalend. septembris urbem ingreditur; Reginam urbe, atque arce excedere, cum puero ultra Tibiscum amnem Lippam concedere jubet, eaque regione potiri permittit. His mira celeritate peractis, in Thraciam Suleimanus rediit.

Dum ea fierent, Antonium Rinconium regredi in Galliam iusserat, ut Regem de iis, quæ acciderant, deque mutatis a se induciarum consiliis, atque ad bellum traductis doceret. Is cum in Galliam proficiscens Venetias accederet, omnia Senatui significavit; de apparatu, quem in Pannonicum bellum, atque adversus Cæsarem ea tempestate Suleimanus moliebatur, multa disserens, illiusque cum Galliarum Rege amicitiam extollens, ut Venetos, quibus præpotentis hostis arma semper suspecta erant, arctiori vinculo cum Rege conjungeret. Petenti, qui se per fines Reipublicæ iter habentem comitarentur, cum levioris armaturæ militum manu Mercurius Bua a Senatu missus, ne per Bergomates, & Volturenam vallem, ad Curiam Rhætorum transeunti insidiæ tenderentur. Qui cum Regem convenisset, novis acceptis mandatis, Pœninis superatis Alpibus, in Taurinos descenderat, ut inde Venetias accedens, Reipublicæ triremibus in Epirum adveheretur. Is cum Cæsare Fulgoso itineris socio duobus navigiis secundo Pado delatus, navigatione ab Hispanis in insidiis excubantibus cognita, cum ad Ticini ostium pervenissent, ab armatis repente prodeuntibus circumventi, capti, interfectique sunt. Ab eo crudeli, atque atroci facinore Alphonsus Vastius incredibili invidia deflagravit, quod, jure gentium violato, inducias inter Reges pactas dissipasset, quamvis ille eam nefariæ culpæ notam diluere conaretur. Ea re mirum in modum Rex excaudit, immerentem a Cæsare gravissima se contumelia affectum; pacis insidioso nomine deceptum, jura amicitiae, ac necessitudinis per summum scelus abrupta; injuriam non ferendam, apud Principes conquestus. Sed interfecto Rinconio, Franciscus, ut institutam legationem prosequeretur, Antonium Polinum, solerti ingenio virum, ad Suleimanum legatum mittere decrevit. Is Venetias veniens Senatui ex Regis mandato justas, quibus in Cæsarem inflammaretur, iras exposuit; au-

*Antonius
Rinconius
& Cæsar
Fulgosius
ab Hispanis
interfecti.*

*Antonius
Polinus a
Gallia Rege
loco Rinco-
nii Byzan-
tium mitti-
tur.*